



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 117. Deputati pro vindicando hoc edicto ad Papam ab Ordinibus
ablegati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.
A. C. 1578.

ctis optime meritis in suspensionem apud seditiosos adducebatur, quod cum Granvellano Cardinale fratre suo consilia communicaret, quapropter Menſe Augusto cum aliis in vincula conjicitur, & postea Gandavum captivus advehitur, prorsus indigne habitus.

§. CXVII.

Deputati pro vindicando hoc edicto ad Papam ab Ordinibus ablegati.

Thuan. l. c. **O**rdinum Proceres cum probe prospicerent, quod suo edicto ingens sibi Catholicorum odium accerlerent, hinc ad Papam ablegabant Elbertum Leonium juris Scientia, & insigni prudentia clarum, qui causam Belgarum apud Pontificem tueretur, periculumque, quod ab obstinata Hispanorum pervicacia Belgio, & Religioni imminebat, multis verbis exponeret: verum hic Deputatus Romæ minus benigne excipiebatur, eo quod summus Pontifex constanter heroica Joannis Austriaci facta tueretur: postquam vero idem Joannes ab illis Principum Ministris, qui cum plena agendi facultate ablegati erant, eo adigebatur, ut quasdam acceptaret conditiones, per quas rerum ad Religionem spectantium decisio ad generalem conven-

ventum remittenda foret, Joannes omnino nullas conditiones admittere voluit, nisi iis legibus prius acceptatis, ut Religio nova in Belgio non reciperetur, atque Ordines præprimis arma deponerent, & Araufionensis Princeps in Hollandiam secederet. Ceterum has leges Joannes provide præscribebat, cum sciret, quod pecunia deficiente stipendia ab Ordinibus conductio militi diu exsolvi non possent, hacque ratione eos diuturnitate belli, & affectata mora exhauriret.

§. CXVIII.

Dissidia inter Belgii populos.

Interea Hannonii, atque Arthesienses, cum Lutheri, ac Calvinii hæreses suis Provinciis violata etiam fide ipsi data intrudi ægerrime ferrent, suam indignationum satis testatam redderant, cum subsidia ad alendas hæreticorum copias necessaria subministrare recusarent: econtra Gandavenfes adversus Wallonum Provincias irritati ad stipendia Germanis numeranda pecunias mutuo dabant, ac vi hos milites ex Hannonia, & Arthesia evocare moliebantur. Sub idem quoque tempus Hannonii, atque Arthesienses sumptis armis Flandriam invadebant, & occupata Menona urbe per universam Re-

Sæcul. XVI.
A.C. 1578.